



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Praevaricatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

mortali, vel arguere alios cum sciat se alijs peiorem, vel conuersari cum mulieribus, & huiusmodi. Quando igitur talis praesumptio iniuriam, vel damnum inferi alicui notabile, tunc mortale peccatum est: sicut si confessor ignorans praesumat audire confessiones, & medicus curare corpora, cum nesciat, vel si quis praesumptuose se periculo exponit peccandi mortaliter, cõdicens nimis in seipso, videtur mortaliter peccare: quia si alios exponere periculo mortis corporalis, & spiritualis, est mortale, multo magis se ipsum.

**2 I T E M** quando quis sperat à Deo aliquid consequi, quod non est possibile secundum diuinam legem, vt veniam peccatorum siue contritione, vel vitam beatam proprijs meritis, quia hoc derogat diuinæ ordinationi, & est contra spiritum sanctum, cuius auxilium videtur spernere: ideo mortale est, quod quidem peccatum ex inani gloria, secundum Gre. ex superbia ortum habet.

**PRAEVARICATIO.**

**P**raevaricatio est peccatum, quo quis a debito officio diuertit ad oppositum fouendum, vt actor ad fouendum reum, vel è contratio: quod est contra rationem rectam, & si fiat iniusto iudicio, aut aliàs in prauidicium diuini, vel communis boni, aut proximi, mortale est ex suo genere, quia contra iustitiam. Remota autem iniuria, & damno, consideranda est ratio declinationis, quia posset esse talis, quod constitueret mortale, vt si quis propter lasciuia, vel huiusmodi praueuicacior existat, aliàs erit veniale, secundum Caetan. ibi in summa, & bene.

**PRIMI MOTVS.**

**P**rimi motus sensualitatis, qui naturales dicuntur, nec sequuntur imaginationem, carent peccato: quia non sunt in potestate voluntatis, ne veniant. Primi autem motus, qui non ex imperio rationis procedunt: tamen voluntas poterat impedire, possunt esse peccata: sed quia ratio super his

non habet plenũ dominiũ, ideo non habent plenam ratione peccati, quod sit mortale: sed est veniale: si tamen ratio huic motui consentiret in re turpi, & mortali, mortale esset. Quomodo peccatum in sensualitate possit esse vide S. Tho. 2. sent. d. 24. q. 1. a. 1. & 2.

**PRIVILEGIUM.**

**P**rivilegium dicitur quasi lex priuata, secundum Tho. secundum da secundum q. 96. a. 1. ad 1. secundum canones verò priuilegium est, quando aliquid contra iura conceditur. c. priuilegia. d. 3. Si verò aliquid cõceditur praeter ius commune, quod sit sine alterius prauidicio, dicitur beneficiũ, vt notat. Pa. de verb. sig. c. olim.

**2 Q V O D D A M** priuilegium dicitur reale, vt quod ecclesiae, dignitati, ciuitati, vel loco, vel personis ratione loci, vel alicuius rei conceditur. c. cũ olim eo. & tale perpetuum est, cũ adhaereat rei, nisi fortè perimatur res. 25. q. 2. c. 1. vel nisi reuocetur ex causa. c. recolentes. de sta. mona. §. 1. Aliud est singulariter personale, vt quod alicui, vel aliquibus personis conceditur, certis, & proprijs nominibus expressis. ca. volentes. de offic. lega. & tale non egreditur personam, cui conceditur: nisi hoc exprimat. capit. constitutus. de concef. praebend. Et si conceditur ratione dignitatis, non vitur eo si aliam adipiscatur dignitatem. capit. bone. §. si. de postula. praelat. Aliud est communiter personale, quod conceditur personis, non expressis proprijs nominibus, sicut de priuilegio minorum 25. annorum. in l. i. ff. de minor. Aliud est singulariter personale, & communiter corporale, vt quod alicui collegio, vel vniuersitate conceditur sic, quod quilibet de illa vniuersitate eo possit vti. capitul. contingit. de sententia excommunicata. vt sunt priuilegia praedicatoribus, & minoribus concessa. Item aliud est communiter corporale, vt id, quo solum communitas se iuuare potest, & non singularis persona, vt in c. qui manumittitur. 22. quæstione secunda, & talia dicuntur corpo-